





1593, B

5



DISPUTATIONES DVÆ

In quibus

MATERIA SPONSALIO-  
RVM & NVPTIARVM,

Paulò plenius examinata est,

Quas in celeberrima Francofurti Academia,

D. O. M. A.

Instituebat,

*HIEREMIAS SETZERVS* *Suvidn.*

Respondente

*IOANNE GÄBLERO* *VratisL.*



FRANCOFVRTI  
Typis Eichornianis.  
Anno clō 1ō xciii.



30



Viro clarissimo,  
à  
genere insigni  
doctrina excellenti  
virtute eximia.  
autoritateq; præcipua  
laudatissimo

*Dn. IACOBO MONAVIO*  
*Patricio*

*Inclutæ Vratislaviensium Reipubl.*

*Mæcenati bonorum  
& amico S.*

*ἱερὸ γύμνασμα hoc è Lyce-*  
*o S. Themidos*

*offert d. q.*

*Lubens, meritò,*

*IOANNES GABLERVS*  
*Vratislaviensis.*

*Ad CL. V.*  
**IACOBVM MONAVIVM IC.**  
Patricium VratisL.

*Fama, senem toties Samium variasse loquclam,  
Alloquium quoties posceret hora nouum.  
Doctus erat; doctè voces & suaviter egit,  
De populo quis erat, congrua verba dedit.  
Prouida, sermonis vitare monotropon, ipsi  
Cura, quod auditor non erat unus, erat.  
Fors etiam tersas iam sermo nouandus ad aures  
Quas pridem faciles Attica Musa capit.  
Ista sed egregijs Charis est, ac copia lingua,  
Quam genius nostris haud tulit ingenijs.  
Quod non Lipsiaca te voce saluto **MONAVI**  
Nec celebrem Douſa prosequor arte lyram  
**LIPSIVS** obtinuit, cuius breuia omnia scite,  
Scitaq; qui breuiter presserit, alter erit:  
**DOVSA** lyra princeps, laudemq; sequacib. omnem.  
Creditur haud paribus cedere velle modis.  
Sed tamen interea monuit vulgaribus uti  
A quibus *Æmilios* non vocet *Haemylic.*  
Et *Pietas* suasit tibi commendare **GABLERVM**  
Cuius ab ingenio surgit opima seges  
Ille subit vigilẽ studio vernante palastram  
Spemq; secutura dexteritatis agit.*

A 2

Qui

Qui Sophia, primis annis benè currit Eleum,  
Numquid is haud aliquo tempore victor eat?  
Ergo faue Themidos Præsul, neu despice Musas,  
Quas Viader vario flumine lætus amat.  
Ludius obscænet spernens quos cernis agonas,  
Idq̄ ego iudicium dixero ludibrium.  
Ridet enim nullus nostram luctator arenam,  
Ridet in hac gressum quem posuisse pudet.  
At tibi, quo melior, quo Phæbo carior es vir,  
Gymnasia fuerit certior huius amor.  
Spem cape de paruis, fore quo maiore feraris  
Carminè, maiori dignus honore coli.

Anagrammatismus.  
IACOBVS MONAVIVS.  
I V V A B O N O S M V S I C A .

Insonuit doctis tua Musica, docte Monavi,  
Musica, quam melior Phæbus in orbe tulit  
Hac Latios potis es, nostrosq̄ laceffere Græcos,  
Seu cupias numeros edere, siue sonos.  
Vix traxisse putem sic carmine saxa, canentem  
Orphea, ceu mentes mens celebrata trahit:  
Floreat illa diu precor, & circumsonet orbem,  
Tuq̄ BONOS doctâ MVSICA amice, I V V A.

Christophorus Pelargus D.

Disputatio I.  
DE  
SPONSALIBVS.

*De amplissima matrimoniorum materia, placidè inter nos collocuturi, rectè atq; ex ordine facere videbimur, si prius de sponsalibus pauca in medium proponamus.*

I.

*Duo enim sunt quasi gradus, quibus matrimonium verum & legitimum absoluitur, sponsalia & Nuptiae. A nuptijs dictus est dies.*

A. tot. tt. D. & C. de Sponsalib. Inde & illud Terentij. Placuit, despondi,

II.

*Ita quidem vt Sponsalia semper antecedant, & non aliter ad nuptias, quàm per sponsalia perueniri soleat. B.*

B. Br. in l. si pecuniam. num. 2. D. cõd. caus. dat. caus. non sec.

III.

*Nam quemadmodum in alijs rebus grauioribus, lentè & cum quodam tractu temporis progrediendum est: ita hæc etiã maximi momenti obligatio non protinus sed distinctis demum gradibus perficienda fuit. C.*

C. Theodor. Beza in tract. matrim. in princip. Beust. in 2. p. tr. matrim. in præfat. De alijs variarum gentium ritibus in contrahendis matrimonijs, vide Plutarch. in problemat. Alex ab Alex. lib. 9. gen. dier. c. 24. & lib., 2. c. 5. Scal. lib. 3. Poët. c. 10. Curt. lib. 8. Polyd. 1. de rer. invent.

invent. c. 4. Cael. 15, lect. antiq. c. 15. & 17. Budæ. ad l pen. D. donat.  
inter vir. & vx. Anton, Guibert. in tr. de Sponsalib. & matrim. tit. de  
rit. nupt. Iac. Ræuard. lib. 4. var. c. 16. n. 10. Hopper. lib. 2. de arte  
jur. tt. de jure priuato.

D. Beza ibid.

IV.  
Præsertim cum hic de graui præiudi-  
cio agatur, & matrimonio semel consum-  
mato, res in integrum restitui, vel omnino  
non possit vel sine graui infamia, turpiq;  
macula, non possit. D.

E. c. ubi pericu-  
lum. de elect. in 6.  
c. quiescamus. 42.  
distinct.

V.  
Ut meritò hic obtinere debeat pruden-  
tum regula; quod ubi maius periculum  
versetur, ibi cautius agendum sit. E.

F. l. i. D. spon-  
sal. vide Hottom.  
in comm. l. C.

VI.  
Sunt autem sponsalia, desiniente I Co.  
mutua repromissio futurarum nuptiarum,  
rite inter eos, quibus iure licet, facta. F.

G. Costal. ad l. i.  
D. sponsal.

VII.  
Dixi, futurarum nuptiarum; ex quo  
apparet, ea, quæ sponsalia de præsentis  
vulgus vocat, non nisi improprie & ca-  
terensiuè ita appellari. G.

H. l. penult. D.  
sponsal.

VIII.  
Sunt enim illa præsentis coniugij pro-  
missio, siue tractatus dispositiuus, (ut lo-  
quuntur) super matrimonio præsentis, qui  
planè vim & effectum veri coniugij obti-  
net. H. Verissi.



## IX.

*Verissimum enim est, quod ad matrimo-  
nij perfectionem, consensus sufficiat,  
neq; vel traductio, vel concubitus requira-  
tur. I.*

I. si donationum. C. de nuptijs cap. aliter. 30 q. 5 cap. honorantur  
32 q. 2. Idq; procedit etiam de iure diuino, exemplo Iosephi & in-  
tactæ Virginis Mariæ Matth. 1. Fuit n. verum matrimonium inter  
Mariam & Ioseph, non coniugij effectu, sed indiuiduæ mentis affe-  
ctu, ut loquitur D. August. cuius sententia allegatur ad cap. institue-  
tum 27. q. 2.

I. 1 nuptias, ubi  
pulchrè Dec. Fab.  
Sturc. D. R. I. l. suf-  
ficiet. D. sponsalibus

## X.

*Vsq; adeò, ut licet statuta strictè in-  
telligenda sint: K. tamen asserere non du-  
bitemus, statutum disponens de lucro do-  
tis, habere etiam locum in desponsata de  
præsenti, licet neq; adhuc cognita, neq; ad  
domum traducta fuerit. L.*

x 3. & seq. D. condict. caus. dat. caus. non sec. Panorm. in c. tertio lo-  
co. de præsumt. c. ex publico de convers. coniug. & in rubric. de spō-  
salib. junct. trad. per eundem in c. si inter eod. tr. Costal: ad l. 1. D. spō-  
salib. ta c. tradita per eundem in l. si sponsus D. donat inter vir. & vx.  
Eandem sententiam confirmat Schurff. cons. 9 cent. 3 VVesenbec.  
in parat. D. sponsalib. in fin. Cuiac. nov. 22. in princip. Francis. Dua-  
ren. de nuptijs cap. 2. Andr. Gail. 2 practic. obs. c. 80 adde Myns.  
cent. 6 obseruat. 78 Dissentit Bodin. lib. 1. de republ. c. 3 latè Mau-  
ser. in tr. de nuptijs circa princip. post alios, quos vide in locis allega-  
torum sententia videtur juri Saxon. esse consentanea. Nam art. 45  
lib: 1 ingressus tori maritalis requiritur, per hæc verba: Wenn er das  
Brautbette vberschritten: licet aliud videatur statutum esse. art. 45  
lib. 3. Sed loquitur ibi in casu speciali, veluti quando sponsæ fit in-  
iuria.

K. Vide latè Gail.  
2. obs. 33.

L. Ex doct. Br. in  
l. nihil. D. rer. amot.  
& in l. imperialis  
§ sancimus C. de  
nupt. las. in l. si do-  
natorius § fin. nū.

iuria, tunc iur. Sax. sponsus statim post sponsalia fit tutor, ita ut possit agere pro iniuria sponsæ suæ illata. ita gl. in d. art. 45. vers. *De Mann ist. &c.*

XI.

M. *Vt per Beust. de sponsalib. c. 7 & seq.* Sponsaliorum diuisiones variæ afferri possunt: M. Sed nos præcipuis tantum contenti, reliquas alij loco reseruabimus.

XII.

N. *Panorm. in c. super eo de condit. appos.* Primum ergò ita Sponsalia diuidimus ut dicamus, Sponsaliorum alia esse pura, alia sub conditione, N.

XIII.

O. *Panorm. in c. super eo fac. § omnis vers. purè instit. de V. obl. l. cedere diem D.V.S.* Pura sunt, quando quis simpliciter, purè, & absolutè promittit coniugium, ita ut per hoc sit nata efficax obligatio & actio, ut alter ad petitionem alterius paratis compelli possit, ad matrimonium consummandum. O.

XIV.

P. *§ sub condit. instit. de V. obl. c. super eo, cum seq. de condit. appos. & ibi Panorm.* Conditionalia autem sunt, quando in aliquem casum vel euentum differuntur, quo nondum extante, sed adhuc pendente, sponsalia firma non sunt. P.

XV.

Q. *Ext. de condit. appos. lib. 4. sentent. distinct. 28 q. 2.* Quia verò conditionum variæ species sunt: ita in illis ex sententia Canonist. Q. distinguere oportet.

Primum

XVI.

Primum enim si ponatur res præterita vel præsens, veluti, si quis dicat: Accipio te uxorem, si hoc vel illud possides, vel si pater consensit; & ea conditio iam extet, rata esse volunt sponsalia, sin verò non extet, nihil promissum intelligi. R.

R. loc. modò allegat.

XVII.

Deinde si conditio futurum respiciat, hoc discrimen adhibendum esse existimāt.

XVIII.

Nam si necessaria sit, habenda est pro completa, ac proinde ex sponsalibus ratum coniugium efficitur, ut si quis dicat; Accipio te uxorem, si cras sol orietur. S.

S. c. si condit. de condit. appoz.

XIX.

Si impossibilis, habenda est pro non adiecta, ac proinde rata quoq; sunt sponsalia, ut si quis dicat: Accipio te uxorem, si celum digito tetigeris, si mare exhausseris. T.

T. c. fin. de condit. appoz. Et hoc specialiter in matrimonijs propter favorem eorundem receptū est, ex sententia Panorm. in c. fin. eod. tit. Nam in alijs contractibus contrarium statutum est. & si impossibilis instit. de inutilib. stipulat.

sententia Panorm. in c. fin. eod. tit. Nam in alijs contractibus contrarium statutum est. & si impossibilis instit. de inutilib. stipulat.

XX.

Si contingens, idem de ea iudicandum est, atq; de simplici promissione, ut si quis

B

dicat:

dicat: Accipio te uxorem, modò hoc vel illud fiat.

### XXI.

V d c. fin. de con-  
dit. appos.

Deniq, ut si conditio vel contrà ma-  
trimonij naturam fuerit, ut accipio te uxore-  
rem ad biennium; vel etiam turpis, ut ac-  
cipio te uxorem, modo quæstus causa vo-  
les esse adultera, eiusmodi sponsalia vana  
censeantur. V.

### XXII.

X c. super eo. &  
c. de illis cod. rr.  
Y Vide Theodor.  
Bez. in tr. matrim.  
mihi p. 9 & seq.

Sed inter has conditiones frequentis-  
sime sunt eæ, quas contingentes appella-  
mus. In quibus omnes consentiunt, quod  
conditio pendente, sponsalia firma non  
sint, X. licet in alijs speciebus à Canoni-  
starum sententia, Theologorum nonnulli,  
nò leuibus argumentis moti, discesserint. X.

### XXIII.

Z Et ratio est, quia  
regulare est, ut in  
contractibus sub  
conditioe conce-  
ptis, non liceat al-  
teri parti, inuita al-  
tera, poenitere, &  
conditioe pendē-  
te à contractu re-  
cedere. l. i. C. peric.  
& commod. rei  
vend.

Vnum est, de quo in hac specie egregiè  
dubitari potest: Fingamus sponsalia cui-  
dam puellæ promissa esse sub hac conditio-  
e, si pater consentiat; nunc verò mutat  
voluntatem promissor, priusquam pater  
consentiat, & significat puellæ, quod nullo  
modo eam velit in uxorem ducere, pu-  
ella videns promissorem cum alia velle  
spon-

*Sponsalia contrahere, impedit illius propo-  
 situm per Magistratus Ecclesiastici inhi-  
 bitionem, petens ut voluntas patris ante  
 omnia expectetur & exploretur, quæsti-  
 onis est, nunquid hoc casu promissor cogi  
 possit, ut stet conditioni appositæ, eaq; ex-  
 istente, compelli debeat, ad implendum  
 cum ista puella matrimonium? Et licet ab  
 utraq; parte rationes admodum urgentes  
 à DD. afferri soleant, probabilior ta-  
 men est sententia, quod isto casu, non sit  
 locus pœnitentiæ, sed quod conditionis e-  
 ventus expectari debeat. Z.*

num. 6 Thoming. decis. 10 Beust. de sponsalib. c. 19 Dissentiunt  
 Can. com. in d. c. super eo. quos sequitur Schneidev. sub tt. de nupt.  
 num. 38 ubi & Maufer. hanc eandem sententiã tuetur. mihi pag. 313.

**XXIV.**

*Si tamen post prima sponsalia, sub  
 conditione contracta, superuenissent alia  
 sponsalia, purè inita, hoc casu posteriora  
 primis anteponenda esse, extrâ controuer-  
 siam existimamus. A.*

A c. sicut ex literis  
 de spõsalib. Pan. in  
 d. c. super eo. & in  
 c. per suas cod. tt.

**XXV.**

*Aliam diuisionem contrâ Iuris ciuilis  
 principia tradiderunt Canonici, quod ni-  
 mirum quedam sponsalia sint de præsen-  
 ti, quedam de futuro. B.*

B c penult de spõ-  
 salib. & c. licet de  
 sponsa duorum. Et  
 hanc diuisionem  
 rejciç

B 2

vel  
 ma-  
 xo-  
 ac-  
 vo-  
 ana-  
 tis-  
 ella-  
 uod  
 non  
 oni-  
 ulli,  
 t. X.  
 egie  
 cui-  
 ditio  
 utat  
 ater  
 nulo  
 pu-  
 elle  
 on-



reijcit Luther. in tr. suo Von Ehesachen. art. 1. *Es gleich wie sie auch.*  
 motus duabus rationibus 1. quia apud nos Germanos, non sit talis  
 loquendi consuetudo 2. quod sub prætextu & confusione horum  
 verborum, siquidem differentia constituenda esset, multa vera con-  
 iugia distraherentur. Et verè in Germanico idiomate, differentia in-  
 ter verbum Accipio & accipiam, non obseruatur, sed æquiparan-  
 tur hæc verba, si quis dicat: *Du solt mein sein/ich wil dich nicht verlas-*  
*sen/ich wil dich nemen.* modò constet de consensu, qui in sponsalibus  
 sufficit, ut infr. dicitur. Sic contrahuntur sponsalia de præsentî, si  
 quis dicat: *Dus solt niemandt scheiden denn der Todt.* Vera est ergò D.  
 Lutheri sententia, quod hæc diuisio apud nos non magnum usum  
 habeat, nisi in sponsalibus, quibus conditio aliqua est annexa, quæ o-  
 mnia sponsaliorum de futuro naturam habent, cum in illis non ap-  
 pareat plena & absoluta voluntas, quemadmodum in sponsalibus  
 de præsentî, ut Luther. ipse fateretur in loc. allegat. & apparet supr. ex-  
 thes. 14 & seqq.

### XXVI.

C d.c. penult. spō-  
salib.

*Sponsalia de futuro vocant, quæ rati-  
 one futuri matrimonij, per verba futuri  
 temporis contrahuntur. C.*

### XXVII.

D Vide Duar. c. 1  
de sponsalib.

*Quo modo tantum sponsalia Iure ci-  
 uili fieri intelliguntur. Per hæc enim ver-  
 ba, non fit coniugium, sed futurum sal-  
 tem promittitur. D.*

### XXVIII.

E Bez. in tr. ma-  
rimon. mihi p. 7.

*Contrà verò, sponsalia de præsentî  
 appellant, quando quis utitur verbis præ-  
 sentis temporis, quibus non modò sponsa-  
 lia, sed matrimonium ipsum, quamuis non  
 de factò,*

de facto, ut loquuntur, de iure tamen eo ipso momento, initur. E.

XXIX.

Ex quibus apparet hanc distinctionem ex verbis contrahentium natam esse: Quid ergo si verba sint ambigua & tam ad presens, quam futurum tempus accommodari possint? Et in dubio pro matrimonio respondere melius est. F.

est, quod in actibus, qui pendent à mera voluntate loquentis, verba de futuro pro presentibus accipiuntur, ut apparet ex c. quemadmodum. ubi not. Panorm. per ill. text. de Iurciur. Deinde, quia in ambiguis semper interpretatio facienda est, contra eum, qui legem contractui dicere potuit apertius, sed non fecit. l. veterib. cum ibi not. ff. de pact. 3. quia ut supra ex Lurher. annotatum est, legitima multorum coniugiorum promissa, multis iudificationibus implicarentur, siquidem contraria interpretatio facienda esset, quod perquam est absurdum. & aliàs traditum est, à Can. in matrimonijs magis consensum & ardorem mutuae voluntatis, quam verborum ambiguitatem considerandam esse c. ex literis el. 1. & c. tua & ibi gloss. & DD. de sponsal. vide Beust. de sponsalib. c. 9. in fin.

F c. tua de sponsalib. c. licet de testibus c. fin. de re iudicat. Et nititur hæc sententia rationib. manifestissimis. Primum enim recepti iuris

XXX.

Alia ratione sponsalia diuiduntur in publica, & in clandestina. G.

XXXI.

Sponsalia publica dicuntur, quæ palam contrahuntur, in presentia testium. H.

XXXII.

Clandestina verò, quæ clam, id est, re-

G De hac diuisione late Beust. de sponsalib. c. 19.

H c. 1. 2 & 3 de sponsalib.

I d. iuribus.

B 5

motis

K ita Luther. in suo  
tr. de caus. matrim.  
in § heimliche ver-  
löbniß.

*motis arbitris fiunt, I. vel si testes quidem  
interuenerint, consensus tamen parentum  
non sit adhibitus. K.*

**XXXIII.**

L Ita Luther. in d.  
loc. & alijs passim.  
licet aliàs sola clan-  
destinitas matri-  
monium non vitiet vel infringat modò ambo confiteantur, se ita  
contraxisse, ex doct. Pan. in c. 1 de clandest. desponsal.

*Hactenus enim sponsalia clandestina  
esse volunt, & non valere, L. de quo in-  
frà de nuptijs pluribus agemus.*

**XXXIV.**

M c. 2 & ibi Pa-  
norm. clandest. de  
spons.

*Sed quid si utraq; simul concurrant,  
publica & clandestina, quæ præferemus?  
& ut publica præualeant, rectius vide-  
tur, M.*

**XXXV.**

N Vide Beuff. de  
sponsalibus c. 14.  
Schneidevv. ibid.  
num. 18 Maufer.  
de nuptijs mihi p.  
306.

*Quod ita Theologi nostri recipiunt,  
nisi ad clandestina accessisset copula. N.  
Quo casu publicis ea præferri debere,  
quicquid reclamant Pontificij, communi-  
ter existimant, O.*

O tot. tt. de spons. duor. per l. nuptias. D. R. I.

**XXXVI.**

P Gell. lib. 4 noct.  
Attic. c. 4.

Q l. 4 cum l. seq.  
l. in sponsalibus l.  
fin. D. h. tt. n. An a.  
per arrhæ siue an-  
nuli dationem ma-

*Etsi autem sponsalia olim per stipula-  
tiones, testationes, & cautiones solennes  
fiabant, P. tamen hodie nudus consensus,  
etiam sine stipulatione, scriptura, aut ar-  
rha sufficit. Q.*

trimo-



matrimonium contrahatur, Vide Beust. de sponsalibus c. 5 ubi concludit, pro sententia negativa, quæ & vera est, nisi vocibus lingua figuratis, hoc exprimatur, vel aliter signetur, annulum in hoc dari, & illum mulier vel virgo, sponsaliorum nomine recipiat, ut tradit Henric. Boick. in c. fin. desponsat. impuber. Pro sponsalibus tamen præsumitur, quando arrhæ intervenerunt. arg. c. illud de præsumt. & si datus sit annulus à sacerdote, tunc præsumitur pro matrimonio gl. in c. fæminæ 30 q. 5. in verbo, annulus.

### XXXVII.

*Quocirca tam inter absentes, per nuncium vel epistolam, quam præsentibus sponsalia rite celebrantur. R.*

absentes contrahuntur, requiratur, ut personæ de quarum conjunctionibus agitur, aliquo saltem modo sese noverint, vel de fama, vel simili ratione. Nam in omnino ignotos, consentire nemo censetur, gl. not. in c. nec illud verb. uxor. 30 q. 5. Ex quo & illud est, ut ad sponsalia contrahenda, non sufficiat generale mandatum, sed speciale requiratur. l. generali D. rit. nupt. c. fin. de procuratoribus in 6. not. Rainald Cors. lib. 2. indag. jur. c. 25 in fin. Beust. de sponsalibus c. 5 ad fin.

R. loc. iam alleg. Notandum tamè, quod eo casu, quando sponsalia inter

### XXXVIII.

*Et generale est, ut qui nuptias contrahere possunt, idem & sponsalia rite celebrent. S.*

S. l. sponsalia. l. tutor. cum l. seq. D. sponsal. l. si quis tutor. § quamvis D. rit. nupt.

### XXXIX.

*Sola ætate excepta: In sponsalibus enim contrahendis, ætas contrahentium definita non est, ut in matrimonijs. Quas propter à primordio ætatis sponsalia effici possunt.*

T. l. in sponsalibus 14 h. tt. n. c. 1 § potest autem de despons. impub. c. tua sanctitas. 31 q. 2 c. 1 & seq. 30 q. 2 c. 2

z c. z c. literas c. ci possunt, si modò id fieri ab utraq; perso-  
accessit. vers. quia na intelligatur, id est, si non sint minores,  
desponsationes c. quam septem annorum. T.  
ad dissoluendum  
de despons. impub.

### XL.

V Hoc accipien- Quo tamen casu non aliter valent spō-  
dum de ijs est, qui salia, quam si impuberes in eadem volun-  
ad annos puberta- tate usq; ad legitimam ætatem persevera-  
tis peruenerunt. rint Nam si mutata voluntate alias con-  
Nam si impubes trahere velint, denegandum id eis mini-  
cum impubere spō- mē esse, firmissimis rationibus munita æ-  
salia contrahat, an- quitas ostendit. V.  
te pubertatem non potest resilire aut pænitere c. de illis, cum seqq. despons. imp. sicut e-  
nim non habet consensum perfectum ad contrahendum, ita nec ad  
dissentiendum: Et si pubes factus sit, cogitur expectare tam diu, do-  
nec desponsata etiam ad legitimam ætatem perueniat d. c. de illis &  
ibi Panorm. Si tamen puberes facti, vel uterq; vel alter ex ijs, rata ha-  
bere nolit sponsalia, permittendum id ei est, ut ab ijs mutata volun-  
tate, liberè possit recedere. Quia pubes factus, non tenetur stare spō-  
salibus, in pupillari ætate contractis. Habent enim desponsationes  
impuberum effectum saltem sponsaliorum de futuro c. fin. cum ibi  
notat de despons. impub. in quibus est locus pœnitentiæ c. z de-  
spons. imp.

### XLI.

Ex quibus eleganter defendi potest:  
X ex c. Gemma. pœnam, quæ à parentibus adiecta sit im-  
sponsalibus l. Titia puberum desponsationi, eum qui recedit,  
D. V. oblig. soluere minimè obligari. X.

Matri

**XLII.**

*Matrimonia enim libera esse debent, & honestus amor solis animis, non penarum metu conciliari. Y.*

*in tr. de lib. connubialibus l. 5 n. 18.*

*Y d.l. Titia & d. c. Géma l. 3 in princ. D. donat. inter vir. & vx. Andr. Tirag.*

**XLIII.**

*Et turpe est natorum corpora pecunia venalia esse. Z.*

*spons. imp. adde Reust. in tr. de sponsalibus c. 4.*

*Z Philip. in Exam. Theol. tit. de dec*

**XLIV.**

*Cetera, quae de personis contrahentium quæri possunt, infra ad materiam nuptiarum reseruabimus, tantum illud hoc loco investigabimus, quid sentiendum sit de sponsalibus, quae per ebrietatem fiunt, utrum valeant, nec ne? Et licet propter varias circumstantias & qualitates ebrietatis, multa hinc iudicis existimatione relinquenda sint, tamen tutius est, ut eiusmodi sponsalia, nisi nouus consensus interueniat, vana esse existimentur. A.*

*is inducit gl. in c. unum oratorium dist. 25 c. à crapula de vita & honestat. cleric. mentem hominis mutat, Plin. lib. 14 c. 22 furorem gignit. Senec. epistola 85. & ubi dominatur ebrietas, ibi libido est & furor. c. venter distinct. 35 immò ebrius pro absente habetur, iuxta illud Mimi: Absentem lædit, qui cum ebrio litigat. Atq; ita de hac quæst. sentiunt: Soc. in c. cum dilectus, ubi & Henr. Boick. de sponsalibus Abb. in c. cum dilecto de success. ab intestat. Chr. Sture. in l. nuptias, num. 32 & seqq. D.R.I. Vide etiam Gail. 2 obseruat. 110*

*A Ratio est, quia sponsalia non valent, nisi per consensum. At in ebrietate non est consensus. Ergò, &c. Assumptum probari potest locis iuris propemodum infinitis. Nam ebrietas statum mentis euertit. c. vinolentum distinct. 35 obliuionem men-*

**C**

**num.**

num. 24 Beuff. de sponsalibus e. 11 Kling. de caus. matrim. tt. de errore qualitatis. Adde de Ebrietatis malo ad superiora Cæl. Rhodig. lib. 5 lect. antiq. c. 12 lib. 28 c. 30 & 31 Philipp. tom. 1 declamat. p. 613.

### XLV.

B l. si uxor. § di-  
uus D. ad l. Iuliam,  
de adulterijs.

C l. penult. C. in-  
cest. nupt. tot. tt.  
Ext. de eo, qui co-  
gnov. consang. vx.

Contrahuntur autem sponsalia ad e-  
um finem, ut coniugium subsequatur. Ita-  
que spem certam, & ius matrimonij futu-  
ri efficiunt, B. & præterea publicam affi-  
nitatis honestatem, inducunt. C.

### XLVI.

D l. 1 C. h. tt. l. in  
potestate D. cod.

E l. in sponsalibus  
hoc tt. l. fin. in fin.  
C. cod. Gell. lib. 4  
c. 4.

F c. ex literis de  
sponsalibus Panorm.  
in c. super eo con-  
dit. appos. vid. sup.  
thes. 8 & seq.

Licet iure veteri per sponsalia non fi-  
eret plena, & absq. omni exceptione futu-  
ri matrimonij obligatio, sed libertas quæ-  
dam relinqueretur recedendi à contractu,  
& sponso & sponsæ, si ita placuisset, D.  
dum modò interesse præstaret, is qui dis-  
cessioni causam dedisset, E. tamen hodiè  
ex Pontificum placitis, omnis pœnitentia  
sublata est. F.

### XLVII.

G c. 2 de sponsa-  
libus. Quod proce-  
dit secūdam Can.  
etiamsi ad sponsa-  
lia de futuro jura-  
mentum accessis-  
set, quia hoc non  
obstante, sponsalia  
tamen

Modò sponsalia per verba de præsentì  
sint contracta. Nam is, qui de futuro  
contrahunt sponsalia, cum futuram sal-  
tem obligationem promittant, & tacitè si-  
bi spacium ad ampliorem deliberatio-  
nem relinquere velint, liberam mutandi  
consilij

*consilij facultatem fieri debere, non sine ratione constitutum est. G.*

tamen de futuro, mutuo jurantium dissensu possunt dissolui. Pro regula

enim traditur apud omnes, ut cum sit gratia iuramenti etiam praestiti, pars, cui remissum est, non incidat in periurium, etiamsi id, quod iuravit, non praestiterit, quae enim impediunt moram impediunt & perjuria d. c. 2 de sponsal. & ibi Panorm. c. 1 de jureiurad. l. fin. D. qui & a quib. Facit pro hac sententia, quod alibi D. D. eleganter tradunt, partem vim Apostoli ad remittendum iuramentum habere, quemadmodum vulgo dici solet: Die hand/welche det Eid auffnimpt/ tan ihn auch erlassen. immo vero, cum iam certum est, debitorem, qui se ad diem constitutam soluturum cum iuramento recepit, non posse illo termino solvere, posset creditor illi prorogare diem, & impedire perjuria, ut docet Br. in l. 1 § ea post operis. D. oper. nov. nunc & in l. cum stipulatus sim. D. V. oblig. quae de re pluribus in utilissima iuramentorum materia, suo loco agemus. Vide Cost. in l. Labeo. 4 x D. jureiur. Mynsing. cent. 6 obser. 52.

### XLVIII.

Nam & alias in sponsalibus dissolvens, non eadem est ratio. Quae enim de futuro vocant, ea ex quamplurimis causis, puta, subsecuta deformitatis, H. de desertionis, I. diversae fidei, K. stupri subsecuti, L. dissolvuntur: at quae per verba de presenti fiunt, tantum ob eas causas, quae coniugium etiam dirimunt, de quibus post agendum erit, rescinduntur.

& D. D. jureiur. quod procedit etiam, si sponsa esset vi cognita, siue ut vulgo loquuntur: Wann sie gleich wieder ihren willen were genoth-richtiget worden: quia adhuc non tenetur eam sponsus ducere in uxorem, sed petere posset sponsaliorum dissolutionem, ut tradit gl. in

H exemplum est in c. fin. de coniug. lepros. & aliud in c. quemadmodum in fin. de jureiur.

I c. de illo de sponsalibus. l. pen. D. h. tt. l. 2 D. diuort.

K l. si legibus. R. c. pisc. aud.

L d. c. quemadmodum ubi Abb.

d. c. quemadmodum quam ibi Can. comm. sequuntur, in verb. oculos vers. sed quid si per violentiam de iureiur. & gl in c. raptor. 27 q. 2 in verb. voluerit ad fin. Beust. de sponsalibus c. 10 in fin. VVes. in paratt. D. h. tt. in fin.

DISPUTATIO II.

Et tantum de Sponsalibus.

*XLIX.*

*M* supr. de patr. potestat. in princ. l. 1 D. rit. nupt. Cur autē à matre potius denominari voluerint hanc coniunctionem, quàm à patre, vid. Vac. à Vacu. lib. 1 decl. 6 Rainald. Cors. lib. 1 indag. iur. c. 29.

*Alter gradus matrimonij contrahendi, sunt Nuptiae, quae definiuntur à Iustiano, quod sint legitima viri & mulieris coniunctio, indiuiduam vitae consuetudinem continens. M.*

*N* VVesenbec. in parat. D. rit. nupt. n. 2.

*Præcipua earum diuisio est, quod vel sint publicæ, vel clandestinæ. De qua iam supra dictum est. N.*

*O* Can. in c. quanto diuort. P Ex trad. per Th. Bez, in tract. de diuort. mihi p. 119.

*Nam quod nonnulli matrimonia ita diuidunt, ut quaedam ex ijs rata sint, sed non legitima, quaedam legitima, sed non rata, O. id tanquam ineptè & imprudenter dictum, ad authores suos ablegamus. P.*

*LII.*

*Vt autem iustæ sint nuptiæ, requiritur primò*

primò consensus, & quidem duplex, primò eorum qui contrahunt: deinde eorum, quorum potestati subsunt.

### LIII.

Dixi, primum eorum qui contrahunt, consensum requiri, Q. ex quo apparet, neq. furiosos, neq. alios, qui perfectè consentire non possunt, matrimonio idoneos esse.

### LIV.

Qua ratione, quia consensui nihil tam contrarium est, quam error, R. matrimonium etiam errore contractum, tanquam deficiente consensu, regulariter nullum esse pronunciamus.

### LV.

Dico regulariter, Potest enim error in ea incidere, quæ ad substantiam matrimonij non pertinent, unde id vitari, perquam absurdum foret. S.

### LVI.

Notanda ergò est Canonist. distinctio, qui errorem ita diuidunt, T. ut alius sit in persona, veluti cum Lia pro Rachele supposita est: V. alius in conditione deteriori, ut cum serua est, quæ credebatur libera; alius sit fortunæ error, ut cum pauper est,

C 3

Q. Vulg. l. nuptias, D. R. l. l. 5 § fin. l. 8 in fin. C. de spòs. l. 8 in fin. l. neq. 14 C. nupt. l. 2 D. rit. nupt.

R. l. cum testamētum in fin. C. de iur. & facti ignor. l. si per errorem D. iurisd. omn. iudic.

S. c. un. 29 q. 1 DD in c. quemad. jureiur.

T. d. c. un. 29 q. 1 c. opposuit. ubi Canonist. cōiug. seru. V. gl. in d. c. un. vers. putatur. 29 q. 1.

quæ

quæ dicebatur diues, alius deniq. sit quali-  
tatis, ut cum capiosa est, quam morige-  
ram esse aiebant.

LVII.

X De errore in  
persona est text. in  
c. tua ibi: nec con-  
sentit in persona  
sponsalib. Luther.  
in libell. de causis  
matrim. art. 4 De  
errore conditionis siue status, text est in d. c. un. & d. c. opposuit.  
Y d. c. vn. 29. q. 1.

Et quod ad priora duo genera attinet,  
ea matrimonium indistincte, & impedi-  
unt & retractant X. posteriora, infirmi-  
ora sunt, quam ut matrimonio obesse que-  
ant Y.

LVIII.

Z Luther. Melâch.  
& alij Bez, in suo  
libell. de repudijs  
mihi p. 100 Har-  
menop. in promtu-  
ar. lib. 4 tt. 12 D.  
Simon Pauli in 34  
meth. de coniug.  
fol. 42 VVigand.  
de diuort. tt. de  
sponsa struprata  
pag. 162 & 195.  
A d. c. vn. in fin.  
29 q. 1 Host. in tr.  
matrim. a. 26. Di-  
dac: Couarru. in e-  
pit. causa matrim p. 2 c. 3 § 7 late VVesenbec. in paratt D. rit. nupt.  
n. 8 vers. sed hæc etsi grauiter & pie differuntur, ubi rationibus The-  
olog. ad amussim satisfacit.

Quod cum Can. Theologi omnes uno  
consensu receperunt, hoc solo casu excepto:  
Quid enim si quis compressam ab alio &  
vitiatam duxerit, vel cum corrupta, igno-  
rans sponsalia de presenti contraxerit,  
an postmodum comperto eius vitio stare  
promissis cogatur, & ad consummandum  
matrimonium deinceps vrgeri inuitus pos-  
sit vel debeat? Et non debere vrgeri, The-  
ologi probabiliter differunt. Z. Videamus  
an non melius sit, ex contraria Can.  
sententia, firmiter rationibus sufful-  
ta, pro matrimonio pronunciare. A.  
Quem



LIX.

Quemadmodum verò error matrimo-  
nium impedit, ita vis quoq; aut iustus me-  
tus, qui in constantem virum fæminam ue-  
cadit, matrimonium ipso iure nullum red-  
dit. B.

B c. cum locum &  
ibi Panorm. n. 5 &  
c. veniens el. 2 ubi  
idem Pan. n. 7 spõ-  
salib. Metum autè  
hic nõ quemcunq;  
sufficere, apparet

ex l. metum D. quod metus caus. l. interpositas iunct. ibi gl. in verb.  
cruciatum C. transact. & est elegans text. in c. cum dilectus ubi gl.  
in verb. metum & Pam. ibid. n. 2 his quæ vi metusue caus. fiunt. An  
ergò metus reuerentialis sufficiat, dubitari potest? Et magis est, ut  
propter hunc metum matrimonium non rescindatur c. veniens. el.  
1. & ibi Pan. n. 4 sponsalib. nisi fortassis metus facti interuenisset, ut  
si pater verberibus filium vel filiam coëgisset. Vide Beust, in 2 part.  
tract. matrim. c. 44. Franc. Sarmant. lib. 2 select. interpret. c. 11 Me-  
noch. 2. de arbitrar. iudic. qq. cent. 2. cas. 135 Andr. Gail. 2 obs. 93.

LX.

Dixi deinde ad matrimonium requi-  
ri etiam eorum consensum, in quorum po-  
testate sunt illi, qui matrimonium contra-  
hant. Ita enim naturalis & civilis ratio  
non una confirmat. C.

Ch. tt. n. in princ. l.  
vn. C. rapt. virgin.  
l. 2 D. rit. nupt. l. si  
ut proponis 2 C.  
nupt. l. qui liberos  
D. rit. nupt. l. spon-  
salia D. sponsalib.

Gell. lib. 2 c. 7 Coras. 1 miscell. I. C. c. 12 & lib. 7 c. 29. Vbi locuple-  
tissime probat, non tantum civili, sed etiam Pontificia diuinãq; le-  
ge, patris consensum in contrahendis nuptijs esse necessarium  
Duar. de nupt. c. 12 Borcholdt in tr. de gradib. tt. quomodo contrahi.  
matrim. ubi omnibus ijs, quæ contra hanc sententiam afferri pos-  
sunt, ex asse satisfacit. Cuiac. lib. 3 obs. c. 5 & lib. 6 c. 20.

LXI.

A quo discessum esse jure Can. quibus-  
dam videtur, ex quorum sententia hone-  
stum.

D Dec. in l. nupti-  
as n. 8 D. R. l. Alc.  
l. inter stuprum D.  
V.S.

V.S. Ant. Cōt. lib.  
x lect. subcesiu. c.  
4. n. 6 late Gui-  
bert. lib. x qq. ju-  
ris memorialibus.  
c. 12 & in tr. de  
spōsal. & matrim.

E c. viduæ 27 q. 2  
c. qualis. 30 q. 2 c.  
aliter c. nostrates  
30 q. 5 c. honorā-  
c. non omnis §  
fin. c. vlt. 32 q. 2 c.  
vlt in fin. 36 q. 2  
c. sufficiat 37 q. 2  
c. x despons. im-  
puber. c. videtur  
qui matrim accus.  
possunt. Vide præ-  
clare Duar. & alios in loc. præalleg.

F l. si ut proponis  
C. nupt. l. in spon-  
salib. cl. x D. spon-  
salib.

G Rez. in tr. de re-  
pud. & diuort. p.

stum quidem est, filiorum nuptijs consen-  
sum parentum adhiberi, sed tamen non  
necessarium, ut ita matrimonium hoc ra-  
tum sit, non legitimum, eamq; sententiam  
non dubitarunt quidam communem ap-  
pellare. D.

### LXII.

Sed quia huius sue sententiæ solida  
fundamenta nulla adducunt, & nequa-  
quam consentaneum est, ll. juris civilis hæc  
de re sanctissimas antiquorum patrum de-  
cretis mutatas esse: detestandam existima-  
mus hanc receptam interpretum sententi-  
am, intereà jus Pontificium à tam graui  
ignominia vindicaturi, contrarium aper-  
tissimis multorum Canonum textibus cō-  
firmare annitemur. E.

### LXIII.

An autem parentes dissentire cense-  
antur, qui non expressè dissentiunt, dubi-  
tari potest: Et magis est, ut cōsentire præ-  
sumatur, qui sciens contrahi non expressè,  
si possit, contradicit: F.

### LXIV.

Sed hîc summum oritur dubium, si  
spon-

Sponsalia sine consensu parentum contracta, re ipsa secutum sit coniugium, an hoc omninò irritum sit, & an parentes diuortium fieri rectè petant? Et licet non desint, qui hoc casu, si parentes iustam suæ recusationis causam habuerint, diuortium fieri posse existiment G. tamen verius est post copulam ex hoc capite rescissionem omninò admittendam non esse. H. VVes. in parat. D. rit. nupt. n. 8.

LXV.

Deinde ad nuptias requiritur, ut ad iustam ætatem peruenerint contrahentes id est. I. ut puberes facti sint, quod ita iure ciu. definitum est, si masculi 14. feminae 12. ætatis annum fuerint egressæ. K.

crob. lib. 1 in somn. Scip. c. 6 Gell. lib. 10 noct. Attic c. 28 Cæl. Rhodig. 19 lect. antiq. c. 21 Coras 6 miscell. I. C. c. 29 Cuiac. in l. minor. § decreto D. minoribus l. 2 D. excus. tutor. & in l. 5 D. testam. lac. Ræuard. lib. 4 varior. c. 18 Bodin. lib. 4 de republ. c. 2 & in meth. histor. c. 6 Donell. lib. 3 comment. I. C. c. 14 erudite Menoch. 2 de arbitr. iud. qq. cent. 1 cas. 57 Eberh. Speckh. cent. 1 qq. iur. ciu. & Sax. q. 44 Beust. in 2 p. tr. matrim. c. 41.

LXVI.

Tertiò ad nuptias contrahendas in primis necessarium est, ut matrimonium nulla lege sit prohibitum. Qui enim iustas nuptias contrahere volunt, secundum præcepta legum coire debent. L. D

145 Luther. in tr. Bonchesachen. art. 1 § sum. dritten. H. c. cum apud sponsalibus c. pen. raptoribus Pan. & D. D. in c. veniens cl. 1 sponsalib. quorum sententia usu & obseruatione Curiarum comprobatur, teste

I h. tt. n. in princip. K. infr. quib. mod. tut. fin. in princip. Ceterum quàm variae aliæ sint de iusta ætate authorum sententiæ, vide Ma-

L. h. tt. n. in princip.

Triplex

LXVII.

Triplicem autem est matrimonij prohibi-  
bitio: primò ratione consanguinitatis, se-  
cundò ratione affinitatis, & tertio respec-  
tu publicæ honestatis.

LXVIII.

Quod ad consanguinitatem attinet,  
distinguentur sunt ascendentes & descen-  
dentes à collateribus, inter illos enim ma-  
trimonia usq; in infinitum sunt prohibi-  
ta. M.

LXIX.

In collateralibus autem, etsi Iure Ciu-  
ili & Iure gent. nulli certi gradus definiti  
sunt, intra quos matrimonium prohibea-  
tur, tamen Iure Pontificio usq; ad quar-  
tum gradum inclusivè coniugia prohiben-  
tur. N.

LXX.

Quid autem gradus sint, & quomodo  
numerentur iure Pontificio, plerisq; no-  
tum est, eaq; computatio ubiq; recepta esse  
dicitur O, sed vix defendi potest, cum neq;  
catholica neq; orthodoxa sit, quod ab alijs  
demonstratum est. P.

M l. nuptiæ § 3 l.  
fin. D. rit nupt. l. ne  
mini § 7 C. cod. tt.  
& hinc in § ergo  
non omnes.

N c. non debet  
penult. & ult. con-  
sanguin. & affinit.

O Beust. in 2 p. tr.  
matrim. c. § 1 in  
fin.

P Theod. Bez in tr.  
de repud. mihi p.  
13 cum aliquot  
seqq. Vide tamen  
quomodo Bezæ re-  
sponderi possit ex

Duaren. de nupt. c. 2.

Consanguinitas

LXXI.

Consanguinitatis simulacrum quod  
dam est affinitas, quæ & ipsa facit, ut  
quosuis affines, quibusuis coniungi, natu  
ra honestas non patiatur. Q. Quo casu et  
si inter affines propriè gradus nulli sunt,  
R tamen Ius Pontificium affinitatis et  
iam quasi gradus facit, eiusdemq; respectu  
prohibitionem similiter quaternario defini  
nit. S.

LXXII.

Ita autem tradit Canon, quod quoto  
gradu quispiam sit consanguineus uxori,  
eodem etiam gradu fiat marito affinis, &  
quasi consanguineus, & contrà. T.

LXXIII.

Ex quo deinde illud etiam dimanavit,  
quod affinitas contrahatur tantum inter  
sponsum & consanguineos sponsæ, & con  
trà, inter consanguineos autem sponsi &  
sponsæ nulla sit affinitas. V.

LXXIV.

Quo apertè confirmari potest, alterum  
affinitatis genus, quod religiosi Can. con  
trà ius civ. consinxerunt, X. sicut & ter  
tium, omninò inutile, minimeq; necessari  
um fuisse. X.

D 2

Q § affinitatis h.  
tt. n.

R l. non facile §  
affines D. gradib.

S d. c. non debet  
consang. & affinit.

T c de propinquis  
§ fin. c. æqualiter  
35 q. 3 c. porro  
35 q. 5.

V c. non debet §  
i. consang. & affin.  
c. quod super his es  
od. tt.

X d. c. non debet  
§ i D. ibi gl:

Y Bez. de diuort.  
p. 68 per § socrum  
h. tt. n. l. 3 § affini  
tates D. postul.

Ex

### LXXV.

**Z** per d. c. non de-  
bet. cons. & affin.  
obstat l. in uxorem  
D. rit. nupt. l. non  
facile § hos itaq;  
D. gradib. & § affi-  
nitatis h. tt. n. Sed  
hoc de Iure Ciu.  
Dispositio verò Iuris Can  
in tr. matrim. 2. part. c. 53.

Ex prædictis aliquot utilissimæ qq.  
decidi & determinari poterunt. Et primò  
dubitatum est aliquando, An vitricus pri-  
uigni sui relictam viduam, in uxorem  
ducere possit? Et quia hîc affinitas vera  
non apparet, ratio non est, cur coniunctio-  
nem istam admittere non debeamus. **Z.**  
potior est, eamq; sequimur. Vide Beust.

### LXXVI.

**A** Propter eandem  
rationem, quia hæc  
species non cadit  
in aliquam causam  
prohibitionis. Vide  
Host. in tt. de affi-  
nit. vers. qualiter i-  
psa. Schneidvv. hîc  
in tt. n. rubric. de  
arb. affin. n. 13.  
Vvesenb. in paratt.  
D. de gradib. n. 17  
& 7 Beust. in 2. p. tr. matrim. c. 55.

Illud in controuersiam vocari memi-  
nimus: An aliquis relictam viduam fra-  
tris defunctæ suæ uxoris in coniugem du-  
cere possit? Ob einer seines verstorbe-  
nen Weibes Brudern Witwe zur  
Ehe nehmen möge? Nos sine hæsitatione  
id optimo iure fieri posse, dicere non dubi-  
tamus. **A.**

### LXXVII.

**B** Kling. in tr. ma-  
trim. tt. de publ. ho-  
nest. iustic.

Tertia causa ex qua matrimonium  
prohibetur, est publicæ honestatis iusticia,  
quæ est propinquitatis quædam ex sponsa-  
libus puris & certis proueniens sine copu-  
la, robur trahens ab Ecclesiæ institutio-  
ne. **B.** Huius

LXXVIII.

Huius ea vis est, ut non minus impe-  
diat matrimonium, quam affinitas C.  
Quare si quis contraxerit cum una spon-  
salia de presenti vel de futuro, postea nun-  
quam, nec in vita, nec post mortem eius,  
cum eius consanguinea, infra quartum  
gradum contrahere ei licet.

C § si uxor. h. et. n.  
l. sponsam. sponsalib.  
c. vn. spons. in 6. c.  
qui desponsatam  
in princip. c. si quis  
uxorem c. si quis  
desponsauerit 2 7  
q. 2 facit l. semper  
D. rit. nupt.

LXXIX.

Qua ratione expeditum est, neq. fratris  
sui defuncti sponsam, uxorem aliquem du-  
cere posse, obstante eodem publicæ hone-  
statis impedimento. D.

D c. ad audienti-  
am & c. sponsam  
sponsalib.

LXXX.

Quod si his impedimentis non atten-  
tis, nuptiæ contractæ sint, nomē matrimo-  
ni non merentur, usq. adeo ut neq. dos,  
neq. donatio propter nuptias intelligatur,  
nec y, qui nascuntur ex huiusmodi damna-  
to coitu in potestate parentum sint, sed si-  
miles ys quos mater vulgò concepit. E.

E § si aduersus h.  
et. n. l. 6 C. incest.  
nupt. l. Paulus ff.  
stat. hom. l. incestæ  
D. rit. nupt.

Hactenus de Matrimonio contrahendo.

LXXXI.

Soluitur matrimonium contractum  
duobus modis: primum morte naturali,  
deinde Diuortio. F.

F l. 1 D. diuort.

D 3

Et

LXXXII.

*Et morte quidem solui motrimonium, cum terminus sit humane vite, manifestum est, G. Quocirca illorum deliria, qui sibi persuaserunt, instituta in presentia vita coniugia, morte interrumpi potius, quam finire, H. ambitiosa & vana, vix responsione digna, existimamus.*

*G. dl. 1. D. diuort. S. quod autem super. nov. c. 22. H. de quibus vid. Theodor. Bez. in tr. de repudijs mihi p. 153.*

LXXXIII.

*Diuortium autem ita definiri potest, quod sit ordinaria viri & mulieris, ob alterius culpam, facta separatio. I.*

*I. Aret. p. 2 probl. 168 circa princ. De Origine vid. Cael. Rhodig. 28. lect. antiq. c. 16 Cuiac. lib. 1 obs. c. 39. Coras. lib. 5 miscell. l. c. c. 10.*

LXXXIV.

*Dico est ordinaria separatio. Primum ut intelligatur oportere subesse iustas dimissionis causas, ne sine causa factum possit videri. K.*

*K. Aret. in loc. præalleg. & dicitur infra thes. seqq.*

LXXXV.

*Deinde ut apud Ordinarium magistratum fiat. L. Nec enim ut consensu matrimonium contrahitur, ita vicissim solo consensu legitime dirimi potest. M.*

*L. c. seculares & c. historia 33 q. 2 Pan. in c. ex quaestione n. 2 restit. spoliat. M. l. 2 l. nullum l. si pænuit. D. diuort. l. consensu C. repud. c. ex parte de sponsalib. c. porro ubi gl. diuort. Vid. Th. Bez. de diuort. & repud. mihi p. 215.*

Quod



### LXXV

Quod ad causas attinet, duae tantum sunt verae & legitima, adulterium nimirum, N. & desertio personae in fidelis. O.

lang. ux. c. dixit 3 2 q. 1. c. Apostolus c. fieri potest 3 2 q. 7 c. non satis § rem nouam 3 4 q. 1.

O 1 Cor. 7. Philip. in tt. de coniug. & Bez. de diuort. ubi hoc diffuse tractat, ac Can. distinctiones rejicit. VVesemb. in paratt. D. rit. nupt. in fin.

N c. significasti 4 diuort. c. discretio- nem 6 § nam etsi eo qui cognov. cō-

### LXXVII.

Nam quod nonnunquam plures cause numerari solent, cuiusmodi sunt: insidia, inimicitiae capitales, seuitiae intolerabiles, eae proprie diuortium non faciunt. Nec enim conjugale vinculum dissolunt, licet quoad torum coniuges separare soleant. P.

P c. 1 & 2 diuort. l. consensu ibi Dd. C. repud. c. literas in fin. & c. transmissa ubi Pan. restit. spoliat.

### LXXVIII.

Sed an cuiquam ad causas diuortij in verbo Dei expressas, alias etiam adijcere liceat, grauissime dubitari potest, & in diuortio proprie sic dicto negantibus acclamamus. Q.

Q late Bez. de diuort. p. 2 13 & seqq. Dissentit Duaren. de diuort. in fin.

### LXXIX.

Acerrime autem de praedictis duabus causis, & maxime de adulterio disputari solet: Anne separatis hoc modo coniugibus,

R 1 per dictum Christi Matth. 19 sumto argumento à contrario sensu. Ait

Ait enim ibi Christus: Quicumq; dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, excepta causa fornicationis, mæchatur. Ergò à contrario sensu, qui propter causam fornicationis uxorem dimittit, & aliam ducit, non mæchatur.

2. quia si diceretur contrarium, pars innocens sine culpa sua priuaretur iure suo, quod tamen fieri non debet c. discretionem § fin. de eo qui cogn. consang. ux.

S August. in c. quemadmodum 32 q. 7 & Hieronym. in c. omnes ibid. per text. 1 ad Cor. 7. qui habet: His autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere inuuptam, aut viro suo reconciliari. Sed loquitur ibid. Apostolus, non de discessu ex causa fornicationis, de quo Matth. 19 Sed de discessu propter contentiones & rixas coniugum, quemadmodum latè ostendit Bez de diuort p. 156 Vide etiam Beust. de matrimo c. 24 Borcholdt. de gradib. tit. quomod. matrimo. dissolu. Ad reliqua Canon. fundamenta in ipsa disputatione respondere conabimur.

## COROLLARIA.

1.

*An valeat statutum, ne mulier nubat cum hereditate, vel parte aliqua hereditatis extrà iurisdictionem?*

Vide Catell. Cott. memor. incip. statuto Mediolan.

*An E.*

<sup>2.</sup>  
*An Esdras & Nehemias recte fecerint iubentes dimit-  
ti uxores Ethnicas à Iudæis?*

Vide Z.V. declam. p. 484.

<sup>3.</sup>  
*Ad quem pertineant Xenia tempore nuptiarum sponsis  
data?*

Vide Br. Alex. Ias. & Dd. l. sed si plures § in arrogato D. vulg.  
& pup.

<sup>4.</sup>  
*An uxor in potestatem viri transeat Iure Romano?*

Vide Br. in l. 1 § idem ait iniur. Mynsing. in § fin inst. patr po-  
test VVesenbec. in paratt. ff. his qui sunt sui vel alieni iur. in fin. Bo-  
din lib. 1 de republ. c. 3 Duaren. de nupt. c. 1 Maus. ibid p. 323 Pe-  
rr. Ancharan. lib. 1 qq. var. q. 8.

<sup>5.</sup>  
*An matrimonio contracto societas aliqua inter coniu-  
ges coita esse intelligatur?*

Duaren. de nupt. c. 1.

<sup>6.</sup>  
*An liceat nobilibus viris, quo cum velint affinitatis in-  
re se copulare?*

Vid. Cas. in 5 Sphar. ciuit. c. 7.

<sup>7.</sup>  
*An undecimestris partus sit legitimus, & quoto mense  
post conceptionem infantes gigni soleant, quantoq; tempore  
iustus partus nascatur?*

Vid. Gell. lib. 3 noct. Attic. c. 16 Menoch. 2 de arbitr. iud qq.  
cent. 1 cas. 89 n. 34 & seqq. Coras. 2 miscell. I. C. c. 21 Beuff. in 2  
p. tract. matrim. c. 36. Alc. lib 3 paradox. c. 7 Myns. cent 6 obs. 40  
Duar. de lb. c. 4 Eberh. Speckh. cent. 1 qq iur. ciu. & Sax. q. 77.

E

Ad Ioh.

*Ad Ioh. Gablerum Vratislaviensem artium hu-  
manitatis ac LL. studijs in Academia Marchi-  
onum nauiter incumbentem.*

Legerat hos avidè titulos docilisq; Camænæ  
Dogmata, qui Viadro creber oberrat, Amori.  
Atq; ita, mater, ait: quæ nunc iniuria, si non  
Hæc erit? & multis noxa luenda modis.  
Ergó ne securi tractant sponsalia nostrum,  
Numen & autores dedidicere tuum?  
Exulo: cõiurant sine me, num mentio quoquã  
Tot coaceruatis litibus, ulla mei?  
Pone, quod ipse tori cõfortia firmet Hymeneus,  
Tædaq; solenni more, iugalis eat:  
Ni stet amor præstò quorsum connubia fient:  
Aut quota lætitiæ mica superstes erit?  
Nos elementa rei, nos incrementa petitæ,  
Cum damus, augurio præpete cedit opus.  
Legibus, ut pedicis, dominum vincitis Amore?  
Obstrictoq; Venus non nisi præde valet:  
Grandius, ô iuvenes, jus imò in pectore regnat.  
Scire Solonigenæ quàm potuere libri:

Cum

Cum dolor est acri flagrantis igne medullas  
Sensuq; diuino more Cupido trahit:  
Cur non & leges diæq; statuta Themistos  
Tela retractandi ferre iubetis opem?  
Fallor an? expertes sapientia prima relinquet,  
Iura dabunt, omni cum ratione fugam.  
Credite, verus amor vis est spontanea, nō lex  
Vlla, licet conjux sis, ut ameris, agit.  
Si quis & aligerum vafer auersatus Amorem  
Quælibet à thalamis claudere vile putas:  
Æqua precor, Charites nō experiare secundas,  
Legibus ut feruens immoriare tuis.  
Sic indignatus: sed enim Venus aurea risit,  
Omen & à pueri iussit abesse minis.  
Tu sed enim Gablere Deum tibi redde fauentē,  
Sint, quos, ne noceant, conciliare decet.  
Scita maritalis sic post examina tædæ  
In thalami discas cetera jure tui.

*Mich: Abelus P. L. & Eq. A.  
faciebat.*

F I N I S.

177  
Cui dolor est acri flagrantis igne medullas  
Sentat diuino more Cupido trahit  
Cui non & leges diuinae sunt Theatros  
Tela recedendi tunc iudicis opem  
Fallor aut experies sapientia prima raptat  
Intradunt omni cum ratione iugam  
Cui te, Venus amor vis est iporantes, no lex  
Vla, licet conseruare amicitia agit  
Si quis & angustat videri auctus a motum  
Quilibet abalansis claudere velle puas  
Veni pector, Charities no experias recundas  
Legibus in seruis immortare mis  
Sic inuigilans: sedentia Venus aurea rite  
Omni & a pueri iure abesse minis  
Tunc tunc Gabriel Deum tibi reddo laudis  
Sunt, oves ne hoc canit conciliare decet  
Sic inuigilans sic post examina talis  
In thalamis dices cetera iure talis

M. A. F. J. C. Ep. A.  
F. I. N. I. S.

F. I. N. I. S.



ULB Halle  
003 254 984



3


Sb.

WDA









1593, 3

5

DISPUTATIONES DVÆ  
In quibus  
MATERIA SPONSALIO-  
RVM & NVPTIARVM,

Paulò plenius examinata est,  
Quas in celeberrima Francofurti Academia,  
D. O. M. A.

Instituebat,  
HIEREMIAS SETZERVS Suidæ.

Respondente  
IOANNE GABLERO VratisL.



FRANCOVRTI  
Typis Eichornianis.  
Anno clō 1ō xclll.



4 1/2

